Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2947
Quelle:
Copyright:

pro *Rege* fit oratio, et reliqua usque ad Sacrificii finem. Poſtea reſumitur *ordo anni* usque ad *Adventum*, ſuccedunt *Miſſae propriae* et *communes de Sanctis*, quae frequentiſſime rhythmicas habent *Sequentias*, *Orationes* pro variis neceſſitatibus, demum *Obſequium Defunctorum*. Oblatio panis et vini, ea item, quae Sacerdos in myſteriorum ſumtione precatur, multum ab hodie receptis differunt. Miſſae *in Conceptione beate Marie virginis* Orationes hae ſunt: *Deus qui beatam annam matrem genitricis tue fieri voluiſti, preſta queſumus, ut apud te meritis utriusque matris et filie celeſtia gaudia conſequamur* &c. *Preſentibus ſacrificijs queſumus domine intende propicius, vt interceſſione beate anne que mater eſt matris tue. deuocioni noſtre proficiant et ſaluti.* &c. *Celeſtibus ſacramentis et diuinis epulis vegetati queſumus domine deus noſter. vt intercedente beata anna quam matrem eſſe matris tue confitemur. ad eternam mereamur pertingere conſolacionem et pacem* &c.

DCCCXV.

38 Codex membraneus lat. Sec. XIV. expirantis Folior. 216. f. max. literis initialibus, pluribus item marginibus coloribus et auro ſpeciofis eſt liber liturgicus ſeu *Miſſale* ab Adventu, ut ſolet, exordiens. Poſt Feſtum *Corporis Chriſti* inſertus eſt *Ordo Miſſae*, quem reliqua de Tempore Officia excipiunt usque ad Adventum. Sequuntur Feſta Sanctorum, Miſſae de Communi, et alia, quae in hodiernis Miſſalibus habentur. *Fol. 98. pag. averſa* in Hymno *Lauda Sion* &c. pro *quantum potes*, *tantum aude* legitur *tantum gaude*, et non incongrue *Quod non ſapis*, *quod non vides*, pro *quod non capis*. Fol. 99. Cantus angelicus *Gloria in excelſis* &c. duplex occurrit, alter immixtis Deiparae laudibus. In *Canone* oratur etiam *pro Rege*, ſed poſt Hoſtiae fractionem variae preces inſertae ſunt, quae hodie exolevere. *Fol.* 150. in Feſto Cathedrae S. Petri Oratio ſic incipit: *Deus qui beato petro apoſtolo tuo collatis clavibus regni celeſtis* animas *ligandi atque ſolvendi pontificium tradidiſti.* Miſſae de S. Sixto Papa ad diem VIII. Id. Aug. *fol.* 170. *Benedictio Uve* recentis inſerta eſt. Denique cum Feſta *S. Valentini*, *ejusque translationis*, *Inventionis S. Stephani* et *Nicolai* peculiari ſolennitate, id eſt, cum *Sequentiis* poſt Epiſtolas, celebrentur, recte inferas, Codicem hunc uſibus *Dioeceſeos Pataviensis* deſerviiſſe; id quod manifeſtius evincit *Sequentia* Miſſae *S. Valentini* fol. 145. ubi legis:

Gaudet celum inclita
Preſulis ex anima

Terra